

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

Dominica Misericordias

omnes feræ sylvarum , jumenta in montibus, & boves in ille , Psal. 50. v. 10. attamen peculiarem gregem habet inter homines, quos sanguine suo emit, & per verbum & sacramenta sanctificavit , hi sunt ovinæ, quas speciatim novit , quas nomine vocat, ut nemo easdem separare possit à caritate suâ, Rom. 8.v.38.39.

Hic velim scruteris, an & tu ad ovinæ Christi pertineas?

Magna hic curâ opus ! Christus enim aliquando segregaturus est oves ab hædis, & statuet oves à dextris suis, hædos autem à sinistris, Matth. 25 v.32. seqq.

Ovis agnoscit vocem pastoris sui, & sequitur eum. Ita quicunque Christi ovinæ se adnumerari cupit, ejus vocem, quam in scriptis Mosis & Prophetarum adhuc hodiè tradit, audire & sequi debet, hic est filius meus dilectus, hunc audite, ait ipse pater cœlestis, Matth. 17.v.15.

Ovis ruminat, quâ de causâ inter anima- lia munda, relata est, Levit. 11.v.3. Sic etiam verus Christianus ruminare, h. c. repeteret quod in Ecclesiâ ex ore pastoris audiuit, ne sit auditor, sed factor verbi, Jac. 1. v. 22. Psalm. 1.v.2.

Ovis, si erravit, tamdiu balat, dum à Pa- store ad gregem reducatur: Sic ovinæ Chri- sti sine intermissione balant, Erravi, sicut o- vis, quæ periit, quæ servum tuum, Psal. 119.v.ult. Jer. 31. v.18.

Ovis est animal possessori suo maximamente: Sic & Christianus dono suo in alterius commodum utidebet, i. Petr. 3.v.10.i. Cor. 9.v. 7.

Ovis est animal patiens , Esa. 53. v. 7. Sic & Christiani patientiam exercere de- bunt, cum Michâ dicentes: Iram Domini portabo, Mich. 7.v.9.

Ovis est animal pacificum. Sic & ovinæ Christi inquire pacem , & eam persequi debent, Pt. 34. v. 15. Hoc est judicium ovi- cularum Christi, Joh. 13.v.15.

Hic itaque probes, mi Christiane ! Et si haec tunc ejusmodi ovinæ non fuisti , sed vel canis mordax, qui reversus est ad vomitum suum; vel sus lota in volutabro luti , 2. Pet. 2.v.ult. revertere ad ovile Christi, ex- tra quod non est salus: sicut omnia quæ extra aream Noæ erant , aquis diluvii peri- bant, Gen. 7.v.21.

In Bœtiâ fluvii duo inter se contrarii sunt, quorum alter, oves albas nigras, alter nigras candidas reddit. Quodsi & tu forte in Diaboli balneo fuisti , & nigredine peccatorum infectus es : agnosce criminata tua, & ora cum Davide : Miserere mei Deus, Psal. 51. v. 1. Et peccata tua, quifuerunt ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fue- rent rubra, quasi vermiculus, velut lana al- ba erunt, Esa. 1.v.18.

De Secundo.

PERGEMUS NUNC AD ALTERAM PARTEM, XE-
COS RIASIAV, FIVE NOTITIAM DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI CONTEMPLATURI. HIC NOBIS PRO-
PONITUR IN HOC EVANGELIO.

1. *Tanquam bonus pastor, qualcm seipsū nominat, eoq; respicit vaticinia Prophetarum, qui omnes Auditores suos ad hunc pa- storem remiserunt , ut Scribæ & Pharisaï hinc colligerent, sc & non aliū eundem esse, de quo David & ceteri Prophetæ prædixerunt, Psal. 23. v.1. Ezech. 24. v. 23. Esa. 40. v. 11. Ezech. 34. v. 26.*

Est autem Christus pastor ille bonus.

1. *Ratione Dignitatis. Licet enim Ja- cob, Moses, David , & alii pastores non contempnendi fuerint, ut supra diximus, atta-*

attamen Christo non æquiparandi, sed hic merito omnibus præferendus est, unde etiam ἀπόκτησεν nominatur, 1. Petr. 2. v. ult. A. & o. principium & finis, Apoc. 1. v. 8. qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Job. 9. v. 10. Judith 9. v. 4.

Hoc magnum est solatium, in quo Chrysostomus mirificè lætatur. *Dicat alius*, inquit, *regat me ager mens, & nihil mihi deerit*: *Dicat alius, regant me negotia mea, & nihil mihi deerit*: *Dicat alius, regant me amici mei: & nihil mihi deerit*: *Ego vero dicam cum Davide: Dominus pastor meus, & nihil mihi deerit*. Qui enim super arenam ædificat, non consistere potest, si descendit pluvia, & venerint flumina, Matth. 7. v. 26. Qui vero in Domino confidunt, non commovebuntur in æternum, sicut mons Sion. Psalm. 125. vers. 1.

2. *Ratione bonitatis*. Non enim modò essentialiter bonus est respectu sui, ut verus Deus, à Patre ab æterno natus, juxta illud: Solus Deus bonus est, Matth. 19, 17. & ut verus homo, in tempore ex Mariâ Virgine natus, juxta illud, Hebr. 7. v. 26. sed etiam relativè ad oviculas suas, quibus beneficit, Psalm. 116. v. 7. omnibus diebus vita sua. Psalm. 23. v. 6. quod abundefacturus est in vita æternâ, ubi pascet eas, & deducet ad vivos fontes aquarum, Apoc. 7. v. ult. ut videant bona Domini in terrâ viuentium. Psalm. 27. v. 13.

Ideoque semper ait: *Sum. Sicut erga genus humanum affectus fui, ante jacta fundamenta mundi, Eph. 1. v. 4: sic etiam in æternum perseveraturus sum: Sum qui sum. Exod. 3. v. 14.*

3. *Ratione fidelitatis*, ponit enim ani-

mam pro ovibus suis, quod reipsâ quoq; præsttit. Tit. 2. v. 14.

Jacob adeò fideliter ovibus præfuit, ut nullas vitæ molestias recusaverit. Gen. 31. v. 40.

Moses tanto affectu Israëlitæ prosequebatur, ut propter eos, de libro Dei deleri vellet. Exod. 32. v. 10. scqq.

David cum vitæ periculo ovem eruebat de ore leonis & ursi, 1. Sam. 17. v. 34.

Sed nihil pendendum est respectu Christi, qui non modò multas molestias nostrum causâ devoravit, nec modò vitam obtulit, sed & profudit. 1. Petr. 1. v. 18.

O beatos nos, qui tam fideli pastore gaudemus, in quod affectus & effectus concurrunt, qui sic nos pascit, ut non destituamur, omni bono. Psalm. 34. v. 11.

II. *Tanquam lupi viator*. Si enim lupus venit, non cum mercenario aufugio, sed animam pono pro ovibus, ait Christus.

Lupus est Diabolus, quem ideo Christus hoc nomine afficit, ut crudelitatem ejus & insidias nosse, & effugere possimus.

Lupus ovibus maxime infestus est, noctes diesque eorum perniciem moliens: Sic diabolus noster adversarius est, dies noctesque nos devorare quærens, 1. Petr. 5. v. 8.

Lupus voracissimus est, & satiari nequit: Sic crudelitas Diaboli nunquam exempli potest, ideo vocatur Abaddon, Apoc. 9. vers. 11. coram eo gaudet mœror, Job. 41. v. 13.

Lupus indefessus est, licet enim semel fugetur, attamen actutum revertitur, quærrens, quomodo oviculis nocere possit: Sic Diabolus non facile abigitur, & licet.

Z 3. quan-

Dominica Misericordias.

quandoque repulsius, tamen reddit, assumtis septem spiritibus, nequioribus seipso. Luc. 11. v. 26. Propterea semper vigilare & orare decet, ne incidamus in tentationem. Matth. 26. v. 41.

Lupus est animal fraudulentum, s̄pē voce rauatā, instar canis latrat, ut sic ovinulas commodius invadere possit. Sic Diabolus in angelum lucis se transformare novit, 2. Cor. 11. v. 14. Utitur nonnunquam sacrā scripturā, ut simpliciores sub hoc praetextu à fide avertat. Quin & falsis Apostolis idē abutitur, qui cundem scōpum præfixum sibi habent, juxta illud:

Non audet stygius Pluto tentare, quod
audet

Effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.

Ideò Christus præmonet nos: Cavete à Pseudo-Prophetis. Matth. 7. v. 15.

Sic ovinula grandi periculo expositi sunt, respectu infernalii hujus lupi, & assecularum ejus: sed Christus fauibus ejus nos eripuit, dum morte suâ mortis imperium abolevit, Hebr. 2. v. 14-15.

Hinc gloriari possumus: Vicit Leo de tribu Juda, Apoc. 5. v. 5. & nos etiam vici mus per & propter eum. Rom. 8. v. 37.

Grates Deo persolvimus,
Quod fauibus scelestis,
Velut volucrē cassibus,
Evasimus funestis:
Dirupta nunc sunt retia
Nos fulcit autor dexterā,
Soli & poli cœlestis.

Gott Lob und Dank der nicht zugab/
Dass ihr Schlund uns möcht fangen/
Wie ein Vogel des Stricks kommt ab/
Ist unser Seel entgangen.

Strick ist entzwey / und wir sind frey/
Des H̄erren Name steht uns bey.

Des Gottes Himmels univ der Erden.
III. *Tanquam gregis auctor. Inquit enim: & alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas me oportet adducere. Per has oves gentiles intelliguntur, hi peregrinæ vel alia oves vocantur, quia non erant ex ovili Judaico, sed sedebant quasi in viâ, instar mendicantium, Matth. 22. v. 10. per peccata quasi à Deo divisi, Esa. cap. 59. vers. 2. Sed Apostolorum ministerio, & illi ad regnum Christi vocati sunt, & factum est unum ovile, & unus pastor, dum medium parietem materiae solvit Eph. 2. v. 14.*

Ante dicebat, non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israël, Matth. cap. 15. vers. 24. quia nimis juxta munus propheticum venerat Judæis, non ethnicis prædicaturus, unde Minister Circumcisionis vocatur, Rom. cap. 15. v. 24. Ne verò existimemus ac si gentiles plane ex ejus regno exclusi essent, dicit hic quod alios adhuc oves habeat, quæ adducendæ sibi sint, quod per Apostolos impletum, & adhuc hodie impletur, quando ex variis gentibus ecclesiam sibi colligit, & augget. Johann. cap. 1. vers. 12. Actor. cap. 10. v. 15.

Hoc nos grato animo agnoscere debemus, nam & nos olim Ethnici fuimus, sed jam pertinemus ad ovile Christi, in æternum misericordia ejus, & usque in generationem & generationem veritas ejus. Psalm. 100. vers. ult. Nunc certi esse possumus de dilectione ejus, ovinulas enim suas non relinquet orphanos, Joh. cap. 14. vers. 18. certi de auxilio ejus, Psalm. 77. v. 11. Certi de protectione ejus in yitā & in

in morte , virga enim & baculus ejus consolantur nos , ne desperemus , sed cum Hiob dicere possumus : Etiam si Dominus occiderit me , tamen sperabo in eo . Hiob . cap . 13 . vers . 15 . Tandem animam nostram afflumet in ecclœste ovile , ubi magnus numerus charorum nos expectat , ut Cyprianus ait . Ibi prorsus securi erimus , à leo-

nibus , lupis & ursis , sed in summa securitate apud Christum & sanctos Angelos pascua inveniemus , vitam cum abundantia . Joh . cap . 10 . vers . 10 . Largiatur id nobis Dominus noster , Jesus Christus . Amen .

* *

Dominica Jubilate.

Evangelium , Joh . 16 . v . 16 - - 23 .

EXORDIUM.

DE dilectissimā Jacobi Patriarchæ uxore Rachel memoratur , quod post acerbissimos partūs dolores filium enixa fuerit , cuius nomen Benoni vocavit , id est , filius doloris mei . Pater verò appellavit eum Benjamin , i.e. filius dexteræ . Gen . 35 . v . 18 .

Hac in parte Rachel imaginem repræsentat ecclesiæ militantis , in hac terrâ , quæ in specie mulieris parturientis describitur . Apoc . 12 . vers . 2 . Est enim mater omnium nostrum , Gal . 4 . v . 16 . paritq; veros Dei filios in vitam æternam , ex semine incorruptibili , per verbum Dei vivum , quod permanet in æternum . 1 . Petr . 1 . v . 23 .

Sed ante Benoni nomen gerere oportet , h. e. variis miseriis , aramnis & calamitatibus subiecti esse tenentur , mundus enim totus in maligno positus est , 1 . Joh . cap . 5 . v . 19 . Et quia Christi Iesu sunt , qui elegit eos de mundo , propterea odit eos mundus , Joh . cap . 15 . vers . 19 . Et si nō cumentum iisdem inferre potest , arbitratur , se cultum praestare Deo . Joh . cap . 16 . vers . 2 . Ne dicam varias molestias , & per-

turbationes , quas à die exitus de ventre matris eorum , usque in diem sepulturæ devorare tenentur . Sir . cap . 40 . v . 1 . Multæ enim tribulationes justorum , Psalm . 34 . v . 20 . & dolor in conspectu eorum semper , Psalm . 38 . v . 18 . Unde patientia nobis necessaria est , ut voluntatem Dei facientes , reportemus repromissionem . Hebr . c . 10 . v . 36 . Sic tandem lœtissima catastrophe sequetur , quando Pater cœlestis nomen nobis immutabit , ut non amplius Benoni , sive filii doloris , sed Benjamin , seu filii dexteræ appellemur , lœtam ex ore Christi vocem audientes : Venite benedicti patris mei , hereditario accipite , paratum vobis regnum , à constitutione mundi . Matth . 25 . v . 34 .

Hic est communis processus , quem Deus cum fidelibus suis instituere solet . In hoc mundo plorare & flere nos oportet , si ibi gaudere & triumphare volumus : Sic itar ad astra , ubi non auditur ultrà vox fletus , & vox clamoris , Es . 65 . v . 19 . sed per plateas , & vicos ejus Halleluja cantabitur . Tob . 13 . v . 22 .

De